

Σὺν Θεῷ

28

17

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

CHAO,

Quam

Cum consensu & approbatione
Collegii Philosophici in celeberrimâ
& Regia Fennorum Aca-
demiâ,

P R Æ S I D E

VIRO pl. Reverendo & Præcellentissimo,

DN. M. PETRO LAURBECCHIO
Poësis Professore celeberrimo, Pro-
motore & Præceptore meo æternùm
devenendo,

*Pro honoribus in Philosophiâ modestè
exhibet*

JACOBUS FALANDER, O-Bothn.

Ad diem 30. Octob. in Audit. Max:
Anno 1679.

A B O Æ,

Excusa apud Viduam Hanssonii.

Reverendissimo in Christo Patri
ac Domino,

DN. JOHANNI GEZELIO

S. S. Theol. Doctori, inclytæ Diæceſeos
Aboëniſis Epifcopo digniſſimo, Regiæ itidem
Academiæ Pro - Cancellario ampliſſimo, &
Eccleſiaſtici Conſiſtorii Præſidi graviſſimo;
Mæcenati & ſtudioſorum meorum Promotori
magno, humillimâ veneratione ætatem
ſuſpiciendo:

Maximè Reverendo in Christo Patri
ac Domino,

DN. ENEVALDO SVENONIO,
S. S. Theol. Doct. & Prof. Prim. Conſiſtorii utriusq;
Adfeſſori, nec non Eccleſiarum Aboëniſium & Num-
menſis Paſtori vigilantiffimo.


DN. JOHANNI GEZELIO JUNIORI,
S. S. Theol. Doct. & Profefſori Ord. Conſiſtorii
utriusque Adfeſſori, & Eccleſiæ ad ædem Divæ Ma-
riæ Paſtori.

DN. M. JACOBO FLACHSENIO,
hactenus Metaph. & Log. Profefſori laudatiſſimo,
jam verò à S. R. M. conſtituto S. S. Theol. Profefſori
Publ. & Ord. Eccleſiæq; Dei in Lundo Paſtori.

DN. ERICO FALANDRO, Ling. Orientalium Prof. Ord. Fratri & Promotori pl. honorando.

DN. M. DANIELI ACHRELIO,
Eloquentiæ Prof. Præceptoris hactenus fideliffimo.
Mæcenatibus, Patronis ac Præceptoribus gratâ
mente æternum devenerandis,

Diſput. hanc pro gradu, in gratiffimi animi
τεκμηρίον, ſubmiſſiſſe officioſeq; offert
JAC. FALANDER, A., & Reſp.



LECTORI CANDIDO ET BENEVOLO
SALUTEM!



Argumentum, quod jam
bono cum Deo conabimur
explicare, in ſe ſubtile &
valde grave, plurimi vanis
ſuis cogitationibus & peſſimis
ſcholijs ſic obſcurârunt & intricatum dede-
runt, ut vix illam invenias viam, quâ
tutò liceat pergere ad ulteriorem in ſcien-
tiâ naturali cognitionem. Nam ut neceſ-
ſariò prærequiritur in Phyſices Studioſo, pri-
mi principij, unde ſcilicet corpora omnia or-
tum ſuum trahunt, notiſſima; ſic non paucos in-
venias, qui hoc thema tractârunt, ſed varie
illud interpretati ſunt. Calviniani, qui pu-
tant ſe univerſa Sapientia latifundium per-
reptaſſe, nobis Lutheranis ogganniunt, non
ob aliam caſſam, ſed quòd Lutheri Sanctiſ-
ſimis dogmatibus ſumus initiati, proq; hâc ſuâ ſen-
tentiâ pugnant tanquam Hercules olim ad
Tanarum in mortis imperium & inferorum
pacem. Quidam illorum planè negant Chaos

exstitisse, atque nos arguunt impietatis, quando hoc asserimus: Imaginantur enim sibi, hoc veritati sacri codicis repugnare, Nonnulli verò propius accedunt, sed non nobiscum vel volunt vel audent uno modo ista sacra explicare, nec loqui, nec sentire. Nos ad normam vita, Scripturam Sacram, regredimur, quæ talis est liber, ut à Physico quoque maximo eum fructu pervolvatur, & quidem ad cap. primum Geneseos, ubi in primis versibus fundamentum nostra sententia habet. Hoc ut evertant, variè illa loca explicant, ut cum basi corruat nostra super hanc re opinio. Sed non sic nobis illudent, cum habeamus claram literam divini textus, ex quo demonstrabimus nos rectè cum Prophetâ Mose & alijs sentire; contra verò, Calvinianos, secundum consuetudinem suam, dicta scriptura detorque. Tuum est, Cand. L. ea qua scripta sunt de nobilissimâ hanc materiâ, benevolè in bonam partem accipere. Laboravi quidem ut omnia optimè illustrarentur, sed si alicubi eò usque angustum meam ingenium non potuit assurgere, ut subtilitas argumenti postulat, excusatum me habebis, cum temporis brevitatis non permiserit mihi diu de hanc materie meditari. sit ergo

MEM.

MEMBRUM PRIUS,

Quod probat Chaos Terraqueum primitus creatum fuisse, unde reliqua corpora naturalia sublunaria sunt producta.

§. 1.

REm ut meliùs intelligas, primùm breviter notabis Etymologiam. Descendit enim hoc vocabulum à græco verbo *χάω*, quod significat hinc, hinc nomen *χάος*, rictus, hiatus, tenebræ.

§. 2. Homonymiam quod concernit, eâ non usq; adeo laborat, propterea de eâ non erimus solliciti.

§. 3. Synonyma autem sunt, Terra inanis, Vacua, Tenebrosa, aquis imersa, &c. Igitur hæc B. L. potest observare, nam in hanc di-

A 3

sputa-

sputatione hæc omnia nobis æ-
quipollentia erunt.

§. 4. His prænotatis, inoffenso
pede licet ad interiora penetrare,
& quidem primò notamus sen-
tentiam Calvinianorum, inprimis
Keckermanni, qui indigestam mo-
lem negat extitisse; sic enim sen-
tit l. 7. Syst. Phys. Hoc scilicet re-
pugnare perfectioni divinæ, si
hoc Chaos creasset. Equidem mi-
ror ego tam inanes cogitationes
posse nasci in capite Philosophi.
Creatio fuit actio externa, quæ in-
ternam DEi Essentiam non red-
dit imperfectam.

§. 5. Deinde dicit, nos absque
ratione contra Sacrum Codicem
hoc dogma velle intrudere, cum
vocibus Cœli & Terræ in versu 1.
præponatur articulus seu *He* de-
monstrativum, quod indicat hæc

ter-

terram & hoc Cælum. Resp. Con-
cedo *He* demonstrativum istis vo-
cabulis præfixum esse, quid tum?
si largirer tibi, hoc versu tantum
summam creationis contineri,
nos solum demonstrabimus fuisse
chaos ex claris scripturæ locis:
nostri enim non est instituti de-
terminare, quid nomine Cæli &
terræ in 1. versu præcipuè intel-
ligatur, cum hoc ad Ampliff.
Theologos spectet. Interea ta-
men non dubitamus, cum B. Mei-
snero aliisque maximi nominis
Theologis Lutheranis, intellige-
re his vocibus massam primævam.
Nè ergo Keckermanni Affectu
diutius se torqueant hæc objecti-
one; notent, *He* illud demonstra-
tivum nihil sententiam illam con-
firmare, nam in versiculo 2. 1-
dem *He* demonstrativum occur-

rit, ubi tamen sermo est de chao
quod infra probabimus ubi no-
stram confirmamus Sententi-
am. Præterea nec igoorabis, *He*
illud Emphaticum non semper
eâdem significatione usurpari; A-
liquando enim significat idem ac
apud Græcos articulus *ὁ, ἡ, τὸ*. Et
tunc est cognitionis seu notifica-
tivum, quod sæpissime præfigi-
tur nominibus sequente dages,
ut etiam heic loci: excipe tamen
nomina propria & constructa,
quibus *He* Emphaticum rarissimè
solet præponi. Rem se sic habe-
re facile potest probari, si modò
varias versiones volueris confu-
lere. Græca exprimit illud *He* per
particulas *ὁ, ἡ*. sic enim habet ver-
sio septuaginta interpretum. *Ἐν*
ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄραν καὶ τὴν γῆν.
Arabica, interprete Briano Wal-

tono, bibliorum Polyglottorum
tomo 1. sic sonat: Primum quod
creavit Deus fuit Cælum & Ter-
ra. Targum Onkelos textui he-
bræo per omnia conformis est:
In principio creavit Deus Cælum
& Terram.

§. 6. Porrò timet, hoc repu-
gnare naturæ Creatoris, si tam
confusum chaos creasset, cum sit
auctor boni ordinis, non verò
confusionis, Resp. Ambabus ma-
nibus tibi hoc damus, Deum esse
auctorem boni ordinis 1. Cor. 14.
non tamen inde statim potest
concludi, Deum non creasse Cha-
os. Nam in hâc massa nihil sic erat
confusum & sine ordine, cum o-
mnia à Deo T. O. M. ad natu-
ræ legem disposita & ordina-
ta erant. Illa quæ levia fue-
runt superiores partes obtine-

bant, gravia verò in fundo hærebant. Sic voluit naturæ Parens, ut omnia tunc ita ferè se haberent, quemadmodum etiam canit Ovid. lib. i. Metamorph.

(lum.
*Ante mare & terras & (quod tegit omnia) Cæ.
Unus erat toto natura vultus in orbe,
Quem dixerè Chaos: Rudis indigesta^q moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque
eòdem*

*Non bene junctarum discordia semina rerum,
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova crescendo reparabat cornua Phæbe,
Nec circumfuso pendebat in aëre Tellus.
Ponderibus librata suis, nec brachia longa
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Qua^q erat & tellus, illic & pontus & aër.
Sic erat in stabilis tellus, innabilis unda.*

Mentem meam ut intelligas, observa me hîc loqui tantum de qualitatibus Elementorum, levitate & gravitate, frigiditate & siccitate. Fateor etiam in chaoticâ massâ ante benedictionem divinam

vinam nullam fuisse operationem naturæ; quod si fuisset terra herbas & arbores sponte germinasset, quod est oppidò absurdum. Elumbe ergo est id argumentum, quod urget Keckermannus: potuisset quidè Deus uno verbo hunc mundum creare, sed non voluit; placuit enim ipsi magis gradatim procedere. Sic cum Adamum formavit, primum corpus è glebâ, terræ produxit, deinde vero animam ei inflavit.

S. 7. Ultimò Keckerm. Subsidium è Script. S. petit, & quidem è libro Sapientiæ cap. ii. ubi dicitur, Deum creasse mundum in numero, mensurâ & pondere. Si hoc, E. nullum Chaos creavit. R. Nec hoc applausum meretur. Sensus hujus loci est de Creatione, ut fuit opus absolutum, non abso-

absolvendum. Plures objectiones possemus quidem in medium proferre, sed cum ex iis, quæ superius dicta sunt, illa optimè possint solvi, nos instituti & brevitatatis memores, ad probationem nostræ sententiæ pergimus.

1. Qui verba Mosis diligenter perlegit, non potest non in nostram sententiam pedibus ire, qui modò præconceptâ opinione non tenetur. Quæso, quid indicare vult Propheta Moses, cum terram, quam in principio cum cælo formavit, inanem & vacuum appellat? dic amabo, quid intellexerit Moses, quum dicit tenebras fuisse super faciem Abyssi? nonne Chaos? Argumentamur: *Terra, quæ erat vacua & inanis & tenebris involuta, imò quæ nondum apparuit, sed fuit aquis immersa*

mersa, nec ab illis distincta, illa merito appellatur Chaos: Atqui in primordio mundi terra sic erat, E. Majorem nemo negabit, nisi cum Calvinianis hallucinari & insanire voluerit. Minor suâ luce radiat & lumine Solis clarior est, quippe fundamentum habens in Sacrà Genesi.

2. Nec parvi momenti est, quod legimus. Sap. 11. Manum Dei creasse mundum *ἐξ ὕλης ἀμόρφης*, ex materiâ informi. Est quidem hic liber Apocryphus, tantæ tamen auctoritatis ac Keckerm. (si omninò auctoritatibus pugandum est) Præsertim cum sententiam Mosis & Celeberrimorum Judæorum sequutus sit.

3. Vocabula ista, quibus hæc res in Sacrà Genesi explicatur, sententiam nostram probant;

nam vox *thobu*, à radice *thaba* inu-
sitata, quæ dictio significat rem
informem, propterea sic vocaba-
tur, quia terra carebat illis rebus,
quibus postmodum exornata fuit. I-
dem fermè significat *bhobu*, vacuū.
Vacua enim erat hominibus, gra-
minibus nondum luxuriabatur,
arbores nondum erant satæ, ut
hanc vocem exponit Targū Hie-
rosolymitanum, citante Schin-
dlero. Fuit invisibilis, ut vertunt
70. quia sic aquis fuit tecta, ut non
potuerit videri. Reliqua nomina
hebræa possemus explicare, qui-
bus probarem hoc nostrum
dogma, sed his Benev. Lect. non
suspensum habebimus; qui vult,
facili negotio inveniet in lexicis.

Sed insurgat quis dicendo, au-
diote velle probare Existentiā
Chai, ex quo sublunaris mundus
pro-

productus est; quomodo Ergo
Theologi ex S. Sacra informati
docent, mundum factum Esse ex
nihilò? Resp. Etiam & ego con-
cedo ista omnia; verum notabis,
Nihil dici hic negativum. Nihil
enim non materia fuit apta nata
ad recipiendam formam, sed tan-
tum *Terminis à quo*. Physicū enim
Nihil aut *privativum* imaginari,
ablonum est. Ex *Nihilo* autem *Ne-*
gativo, quædam *immediatè*, quæ-
dam verò *mediatè* producta sunt,
ex tali nempe materiâ, ex quâ ci-
tra influxum infiniti agentis res
producenda nunquam prodiiisset;
procedens à Deo *immediatè*, ex
potentiâ illius absolutâ, & solo vo-
luntatis liberrimæ imperio.

Nihil itaq; efficit Wendelinus,
dum nostrū Meisnerum vult con-
fundere, & absurditatis arguere:
potest

potest enim quivis cernere, illum
ibi non zelo veritatis fuisse agita-
tatum, sed pravâ luâ voluntate
stimulatum; quam indolem om-
nes Calviniani habent, qui in
rebus, quæ Religionem concer-
nunt, ad veritatis lucem oculos
suos non possunt attollere. Itaq;
quando dicimus, mundum crea-
tum esse ex nihilo, non ita est in-
telligendum, quasi ubique nega-
remus materiam quandam ex quâ
præextitisse: nam unâ cum nostra
tibus dicimus, quinque dierum
πνευματα, exceptâ tamen animâ
humanâ ex primi diei operibus
producta fuisse. Nec quemquam
hæcce offendere existimo, quam-
vis dicamus mundum creatum
esse ex nihilo. Wendelinum qui-
dem, qui reliquos præ se contem-
nit, offendit Meisnerus, quod sic
loqua-

loquatur; sed frustra in eum in-
vehitur, cum sic sentiât etiam Phi-
losophi omnes. Nemo tamen ex
his, quæ dicta sunt, existimet, re-
ctè se posse dicere, cum Vendeli-
no, corpora naturalia producta
esse ex nihilo, quæ ex immediatâ
Elementorum mistione per ge-
nerationem naturalem oriuntur:
nam primùm scias, hodie nulla
corpora naturalia creari, sed ge-
nerari; deinde eadem variis ge-
nerationibus sic esse mista, ut nu-
spiam existant pura; unde sequi-
tur, corpora ista non ex nihilo
esse, quippe forma perfecta adest.
E, g. quando generatur homo u-
nâ cum materiâ Elementorum,
illâ mistione adest forma perfe-
cta anima rationalis, quod satis
probat seminis operatio, nimirum
vivificatio & estformatio. Consule
B. Hyp.

Hyp. 4. celeberr. Señ. c. 6. p. m. 178.
Vanus itaq; merito cenſetur Cal-
viniſta ille, cum ſcribit corpora
naturalia creari ex nihilo; Cum
vocab. creare ſumatur vel pro-
priè vel impropriè. Alia eſt
ratio creationis, alia generationis.
in Chao nulla erat operatio, ut
hodie videmus fieri. Et tantum
ſit dictum circa expoſitionem
membr̄i prioris, ſequitur

MEMBRUM POSTERIUS,
Quod paucis exponit Eſſentiam Chai.

IN varias ſententias abeunt Phi-
loſophi, dum determinant, qui-
bus olim conſtabat Chaos. Joan-
nes Becherus Phyl. Subterr. lib. 1.
Sect. 1, c. 2, n. 10. Materiam Chai
facit tantum terrā, quam quin-
tuplicem viciffim ſtatuit. Prima
erat, ſecundum opinionem ejus,
nobiliffima, quæ in materiam
ceſſit ſideribus. Altera variis Me-
teoris

teoris originem exhibuit. Tertia
animalium mater erat. Ex quartā
vegetabilia ortum habent. Quin-
ta & ultima origo erat mineraliū.
R. Hanc ſententiā approbare non
poſſumus, cum falſo inniratur
principio; quod evidēs eſt ex loco
citato, ubi dicitur Chaos in terrā,
non in aquā vel aère locū habere.
Chaos, ut illud hīc conſideramus,
quoad ſubſtantiam erat congeries
quatuor Elementorum, prout in
definitione ſtatim dicemus.

Kenelmus Digbæus, materiam
indigeſtæ molis in App: Theol. c. 1.
Facit tantum tria Elementa, Ae-
rem, Aquam, Terram. Hoc enim
mover virum, quòd nuſp̄iam in
deſcriptione Creationis mentio-
nem faciat Moſes hujus Elementi.
Sed nec ille veritatem acu tetigit:
Nam Scriptura S. non eſt norma

controversiarum Physicarū; non statim in illis rebus filebit Physicus, quas sacræ literæ non nominant. Igitur, quamvis ignis non lucebat, nec aliquod corpus erat tunc temporis incensum, optime tamen potuit latere, quemadmodum etiam & hodie in plurimis corporibus latet.

Deinde, si sic cum eis vellemus argumentari, ac illud penitus excludere, quod sacer Textus memorix non prodidit; tum nec concederemus Aërem esse Elementū. Nam Moses nusquam dicit Deum creasse aërem, quem tamen Adversarius nobiscum vult esse Elementū. Sed forsitan quisquam cum Digbæo & Bechero vellet probare sententiā suam ex Genesi, cum mentio fiat Spiritus Dei in c. 1, 2. quem interpretantur de aëre.

Resp.

Resp. Hoc non succedit: nam in Chaos illo latitabant quatuor illa Elementa, quemadmodum in pilâ materia ejus, non itaq; aër, qui in Chaos erat, potuit incubare; quod tamen illum Spiritum fecisse testatur Moses. Fuit E. Spiritus Sanctus, qui hanc massam fovebat & fecundam reddidit. Sed in majorem molem crescit nostra dissertatio præter opinionem, idcirco hic breviter, antequam his manum imponimus supremam, Chaos describemus.

Erat autem Chaos Terraqueum indigesta & inordinata compages corporum naturalium quatuor Elementis constantium.

Definitionem in Genus & differentiam resolvere non magnoperè necessarium puto; propterea hic veniā B. L. pedem figo, sperans illum singula in meliorem partem tantò libentius interpretaturū, quantò certius sciat, quosdam inveniri homines, qui nihil aliud didicerunt, quàm scripta aliorum lacerare, & famam proximi sui proscindere.

*Rerum Creatori sit Laus, Honor & Gloria,
in secula seculorum!*

*Ad Ingenio perspicaci rareq; virtutis cultu
exornatissimum Juvenem,*

DN. JACOBUM FALANDRUM,
B. Dn. Erixi Falandri, quondam Pastoris
Carlebyensis filium non degenerem,
Philosophiæ Candidatum meritissimum,
commilitonem & amicum perdi-
lectum.

Nil erat & fieri jussit Deus omnia verbo;
Nec mora, sit mundus qui fuit
ante nihil.

*Mirum opus hoc, mirusq; magis modus ipse
creandi:*

*Ecce opifex horum est, qui fuit, omni-
potens.*

Differis atque refers per plurima, docte

FALANDER,

Talia, de mediis sentibus orta rosa!

L. Mq;

ENEVALD. SVEN.

Q. G. A. S. S. Th. Doct.

In Virum Pereximium,

DN. JACOBUM FALANDRUM,
Ostro-Bothniensem

Philosophiæ Candidatum meritissimum,
pro honoribus Magisterii dispu-
turum,

Hendecasyllabum.

Olim Nestoreos dies precati
Atque annos Pylios & ampla fata,
Divinæ indolis aut venusta facta, A-

Aut promptos animos, bonis quibusque
Certos auxilio fide probâque,
Aut sanè Herculeos virum labores
Spectabant, precibus subinde proni.
FALANDER, quoniam venusta Musis
Pandis gnaviter entheis tropæa,
Sudans impiger ad theatra rerum
Miles Palladis & sacra Minervæ;
Æquans vel decimum alterum & laborem
Athletæ Herculis, indies studendo
Infers nomina perpetimque fastis,
Et polles charicum pio favore,
Antiquæ fideique iura servas,
Mentes sic hominum movens & ora,
Ad laudes faciles probique moris,
Et commercia crebriora vitæ:
Sicut gratulor omnium favorem,
Donorumque Tibi faces peramplas;
Annos Nestoreos simul vovere
Pergo, denique gaudiumque Olympi!
Gratulabundus posuit
P R Æ S E S.

Πολλοὶ μὲν τοῖς ἑαυτὶ παισὶ εἰσηγῶν μὴ
ὅπως τὰ τῶν ἁγίων ἤδη σπαδαῖοι πεφυκέναι
δόξωσι, ἀλλ' ὅπως παρρησιαστικώτεροι τὴν βίον
ἀειλῶσι καὶ τὰ εὐμετέα βλητὰ σκοπῶσι: Σε δὲ
ἀδελφεὲ ἀγάπητε ὁ σὲ γονεὺς ὑπὸ παιδαγωγ-
γοῖς τέταχε, ὑπὲρ τῆς μόνῃ σπαδάζων
ὅπως φρονιμώτερον ἀεικείσεται ὁ αὐτὸς υἱός, καὶ
Συ

Σὺ μὲν αὐτὸς πᾶσι ἐπὶ ὧν καὶ ὄρφανος γινόμενος
σεαυτὲ ἐπὶ ἀρετὴν προσέτρεψας τὰ μαθηματικὰ καὶ τὰς ἐλευθέρων τέχνας περὶ πολλῶν
ποιήσας, Διὰ τοῦ καὶ αἱ Μῆσοι σοὶ βραβεῖον
παρασκεύασαν. Ἐρώσω

Ita fratri germano charissimo honores Academicos festinanter gratulabatur
E. FALANDER.

Orphanus, en! fueras sex annos, chare FALANDER;
Præmia mox dantur sex capienda Tibi;
Gratia, Sparta, cibus, soboles, præ boethnica a-
Ac honor hæc Dominus fecerat ipsa parës. (mica,
L. Mq; GABRIEL LAURÆUS.
Oecon. Templ. Ab.

Πᾶσι μὲν ἀνθρώποις θεῖον γένος ἐμφυτὸν ὄσιν
Ταῦτα σὺ ἐν σπένδεις ἔργω τε λόγῳ τε πονήσῃ,
Ἄσασε δὲ τῆς θειῆς φύσεως εἰς ἴχνια θῆσει.
Μήθε λύμην δὴ μήτε λύπην σοὶ ταῦτα δίδωσι,
Κόσμικα ὡς πολλοῖς τα δὲ χρήματα πῆματα ὄσιν.

Φιλίας τε καὶ τιμῆς ἕνεκα προσ-
έθηκεν

O. LAURÆUS, O-Boeth.

Olim sic sudasse iuvat juvenilibus annis,
Ut lætos capiat fructus ventura senectus.
Pergis, FALANDER, vegetum tu infumere tempus,
Ut bene prospectum sit langvescentibus annis,
Hisce paucis amicam meum integerrimum
honorare volui
JOHANNES Σοφιστῆς/O. Boeth.